



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

In festo Annunciationis B. Mariæ Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

æternæ habes Domine : & ea quæ sunt super omnia quæ mundus habere potest. Non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum, lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis Apostoli sancti seminaverunt. Martyres verò manifestum est fortitudinem seminasse. Porro veri Confessores seminaverunt iustitiam, quam in omni vita sua sequuti sunt. Hoc enim interest inter Martyres & Confessores, quod inter Petrum simul omnia relinquentem, & Abraham substantiam mundi in bonos usus expendentem. Sic enim illi consummati in brevi expleverunt tempora multa: isti verò longa & multimoda traxere martyria. Virgines sanctæ planum est quia temperantiam seminarunt, quæ sic libidinem calcaverunt.

Martyres,  
Confessores,  
Virgines quid  
nobis semina-  
verint.

Discrimen  
Martyrum &  
Confessorum.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS

B. Mariæ Virginis.

S E R M O I.

De Verbis Psal. *Vt inhabitet gloria in terra nostra; Misericordia  
& veritas obviaverunt sibi, Iustitia & pax  
osculatæ sunt.* Psal. 84.

**G**loria nostra hæc est (ait Apostolus) *testimonium conscientia nostra* <sup>a</sup>. *a* 2. Cor. 1. c  
Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione <sup>b</sup>, testimonium perhibens de seipso, & testimonium eius verum non erat: sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porro hoc testimonium in tribus consistere credo. Necessè est enim *primò* omnium credere quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: *deinde* quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse: *postremò* quòd æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus <sup>c</sup>? Utique quod factum est, non potest non fieri: ipso tamen non imputante erit quasi non fuerit. Quod Propheta quoque considerans ait <sup>d</sup>: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* De operibus verò bonis certum omninò est, quòd nemo hæc habeat à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantum minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa quantum in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora. Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat; quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod nihil est) declinamus.

b Luc. 18. b

Testimonium  
conscientia cõ-  
sistit in tribus.  
Remissio pec-  
catorum, Ope-  
ra bona, &  
vita æterna,  
à solo Deo.

c Job. 14. a

d Psal. 31. a  
Homo sibi re-  
lictus conti-  
nuò tendit in  
nihilum.

Sermones S. Bernardi.

Z

Jam

*Merita nostra  
sunt Dei dona.*

1. Reg. 13. c  
& Act. 13. d  
d Psal. 142. a

\* al. compu-  
tare.

• Luc. 14. g

f Rom. 3. d  
Solius Dei est  
condonare o-  
pera bona, &  
eorū præmia.

Passioni Chri-  
sti tribuitur  
remissio pec-  
catorum.

g Rom. 4. d  
Resurrectio-  
ni iustificatio.  
h Ibid.

Ascensioni  
glorificatio.  
i Psal. 31. a  
k Psal. 83. b  
l Psal. 64. a

Jam verò de æterna vita scimus, qui non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? denique quis melior est Propheta cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibet, dicens <sup>b</sup>: *Virum inveni secundum cor meum.* Veruntamen & ipse necesse habuit dicere DEO, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.* Nemo itaq; se seducat: quia si bene cogitare\* voluerit, inveniet proculdubio, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se <sup>e</sup>.

Verum hæc quæ nunc diximus non omninò sufficiunt, sed magis initium quoddam & velut fundamentum fidei sunt habenda. Ideoque si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens: *Dimissa sunt tibi peccata tuâ.* Sic enim arbitratur Apostolus <sup>f</sup>: *gratis iustificari hominem per fidem.* Ita de meritis quoque si credis non posse haberi nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas necesse est testimonium spiritus; quod ad eam divino sis munere perventurus. Ipse enim peccata condonat: ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat.

Porro testimonia ita credibilia facta sunt nimis. Nam de remissione quidem peccatorum validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis eius invaluit multò plus quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remissionem omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra* <sup>g</sup>: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. De bonis autem operibus argumentum nihilominus efficax mihi est Resurrectio eius, quia *resurrexit propter justificationem nostram* <sup>h</sup>. Porro de spe præmiorum testimonium eius est Ascensio, quia ascendit propter glorificationem nostram. Hæc tria in Psalmis habes dicente Propheta <sup>i</sup>: *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Et alibi <sup>k</sup>: *Beatus vir cuius est auxilium abs te.* Item alibi <sup>l</sup>: *Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atriis tuis.* Hæc est gloria vera, gloria inhabitans; quia ab eo est, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Filii verò Adam gloriam quæ ab invicem est quærentes, gloriam quæ à solo DEO est non volebant

In Annunciatione B. Mariæ, Sermo I. 181

lebant, sed sic gloriam extrinsecus fluentem sectantes habebant gloriam non in semetipsis, sed magis in aliis.

Vis nosse unde sit homini inhabitans gloria? Dico breviter, quoniam ad mystica festinat intentio. Nam & ea sola proposueram in verbis illis propheticis diligentius festigare, sed reflexit ad moralia occurrens prima fronte Apostolicus sermo de interna gloria & testimonio conscientie. Sic ergo inhabitat hæc gloria etiam hic in terra nostra si misericordia & veritas obvient sibi, & sese iustitia & pax osculentur. Prævenienti siquidem misericordie, ut veritas nostræ conversionis occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit DEUM. Ubi enim compungitur quis, jam tunc cum misericordia prævenit, sed nequaquam ingrediatur, donec ei veritas confessionis occurrat. *Peccavi Domino*, ait ipse David<sup>m</sup> ad Nathan Prophetam, cum de adulterio & homicidio argueretur. *Et transiit Dominus peccatum à te*, ait Propheta, Nimirum *miseriordia & veritas obviaverunt sibi*. Et hoc quidem, ut declines à malo. Jam verò ut facias bonum, in tympano & choro tibispallendum est, ut ipsa mortificatio carnis tuæ & poenitentiae fructus, ac iustitiæ opera, in unitate & concordia fiant: quoniam unitas spiritus, vinculum est perfectionis. Neque ad dexteram neque ad sinistram declinaveris. Sunt enim quorum dextera, est dextera iniquitatis. Phariseus ille<sup>m</sup>, cuius supra meminimus, non erat sicut cæteri hominum, sed ipse sibi (ut diximus) testimonium perhibuit, sed non verum. Sanè quisquis ille est in quo misericordia & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax osculatae sunt, securè gloriatur, sed in eo qui sibi testimonium perhibet in spiritu utique veritatis.

*Ut inhabitet gloria in terra nostra, misericordia & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax osculatae sunt.* Si gloria Patris, Filius sapiens, cum sit sapientia ipsa, sapientior nemo; liquet profecto gloriam Patris, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam esse. Quia ergo multifariè multisq; modis de eo prædictum fuerat in Prophetis<sup>o</sup>, quod in terris videndus esset, & inter homines conversaturus, quonam modo id factum sit, ut impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitaverit gloria in terra nostra, Psalmista indicat in his verbis<sup>p</sup>, ac si manifeste dicat. Ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis, *miseriordia & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax osculatae sunt.* Magnum sacramentum, fratres, & diligentius perscrutandum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quoq; intellectui verba deessent. Dico tamen utcunque modicum id quod sentio, si fortè vel occasionem dedisse videar sapienti. Videre mihi videor, dilectissimi quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso

*Vera & inhabitans gloria unde homini contingat.*

*Nimirum ex compunctione, & conversione, seu, declinando malum, & faciendo bonum.*  
m2. Reg. 12. d

Luc. 18. b

Heb. 1. a

\*p Psal. 84. b

*Homo ab ipso creationis exordio quatuor virtutibus tantquam vestimento salutis amictus.*

¶ Efa. 61, d sua creationis exordio, & (ut Propheta meminit <sup>a</sup>) vestimento salutis indutum. Est enim in his quatuor illa salutis integritas: nec sine his omnibus potest constare salus: præsertim cum nec possint esse virtutes ab invicem separentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam*, custodem scilicet atque pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaque protegeret & conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvo suo DEUS, qualem dedit pedissequam homini recens orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri, quàm *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando veritatis. Interim verò ne sapiens inveniretur ut malum faceret, eisèctque peccatum ei tanquam scienti boni & minime facienti, *Iustitiam* quoque qua regeretur accepit. Adhuc autem & *Pacem* qua foveretur & delectaretur addit manus benignissima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores, id est nec caro concupisceret adversus spiritum: nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse, qui violentia non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic decrat, quem misericordia custodiebat, docebat Veritas, regebat Iustitia, Pax fovebat.

¶ Luc. 10. c Sed huius homo iste ad multam perniciem & insipientiam sibi descendit de Hierusalem in Hierico <sup>9</sup>. Siquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. An non despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec verò poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine eius despoliatione. Et vide, si non propter has quatuor partes vestimenti quod amiserat primus & vetus homo, in totidem quoque divisa sunt secundi & novi hominis vestimenta. An forte quæris & tunicam inconsutilem, quæ non dividitur, sed forte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non allata, sed insita atque ipsi impressa naturæ, dividi scindique non potest. Ad imaginem nempe & similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem perit, veruntamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit non exuri, ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed forte provenit. Et quocumque perveniat anima, simul & ipsa erit. Nam similitudo non sic, sed aut manet in bono; aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similata.

Sed

¶ Luc. 10. c

Homo despoliatus vestimento salutis, & nudus relictus.

In Annunciatione B. Mariæ, Sermo I. 183

Sed quia spoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo singulis sit spoliatus, congruum est ut dicamus. Perdidit homo *Iustitiam*, cum Eva serpentis, Adam mulieris voci obedivit potius quam divinæ. Erat tamen residuum aliquid, quod apprehendere possent, idque Dominus suo illo scrutinio innuebat, sed abiecerunt etiam illud, conversi in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Prior enim iustitiæ portio non peccare, secunda per pœnitentiam damnare peccatum. Perdidit & *Misericordiam* cum sic exarsit Eva in concupiscentia sua, ut nec sibi, nec viro, nec filiis parceret nascituris, simul omnes terribili maledicto & necessitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ mulierem pro qua peccaverat objecit: quali post tergum eius volens declinare sagittam. *Vidit enim mulier lignum quod esset pulchrum visu, & ad vescendum suave* <sup>r</sup>, & à serpente audierat tanquam Deos se futuros. Funiculus triplex difficile rumpitur, curiositatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc sola mundus habet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. His abstracta & illecta misericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam qui mulieri malè miserus est, ut cum ea peccaret, benè noluit misereri ut pœnam sustineret pro ea. Privata est etiam mulier *Veritate*, primo quidem malè detorqueus quod audierat, *morte morieris*, & dicens *ne forte moriamur*: demum serpenti credens, penitus abneganti & dicenti, *nequaquam moriemini* <sup>s</sup>. Privatus est & Adam veritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est excusationum operimenta præterdendens. Siquidem ipsa dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam* & ego eum coram patre meo <sup>t</sup>. Pacem quoque protinus amiserunt, quia non est pax impiis, dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? *Timui ego*, inquit <sup>u</sup>, *ed quod nudus essem*. Non sic miser, non sic paulò antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus sicut & modo.

Et hoc sanè (ut Prophetæ ipsius parabolam prosequamur, qui sibi obviafle eas, & reconciliatas in osculo memoravit) gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas & iustitia miserum affligebant, pax & misericordia zeli huius expertes iudicabant magis esse parcendū. Sunt etenim collectaneæ hæc duæ sibi, quemadmodum & priores. Unde & factum est ut perseverantibus illis in ultione & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præsentibus molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii, illæ secederent in cor patris redeuntes ad Dominum, qui illas dedit. Solus siquidem ipse cogitabat cogitationes pacis cum afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat pax,

Z 3

non

Quomodo spoliatus 4. supradictis virtutibus; id est Primo.

2. Misericordia.

r Gen. 3. a

3. Veritate.

s Gen. 3. a

t Luc. 9. d  
4. Pace.

u Gen. 3. b

Inter istas virtutes occasione prævaricationis orta contentio pulchre depingitur.

non ei misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro paternā pul-  
 x Psal. 76. b fantes viscera loquebantur<sup>a</sup>. *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut  
 non apponet ut complacitior sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut  
 continebit in ira sua misericordias suas?* Et quamvis diu multūmque visus  
 fit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo justitiæ &  
 veritatis; non tamen infructuosa fuit supplicantium importunitas, sed  
 exaudita est in tempore opportuno.

Conciliationē  
 misericordie  
 & veritatis,  
 justitiæ &  
 Pacis, quasi  
 Schemate in-  
 dicit eleganter  
 repræsen-  
 tat.

y Isa. 33. b  
 & Psal. 35. b

Summa con-  
 troversia &  
 contentio  
 inter Miser.  
 & Verit. lu-  
 str. & pacē.

Fortè enim interpellantibus tale dicatur dedisse responsum. Usque-  
 quo preces vestræ? Debitor sum & sororibus vestris, quas aecinctas vi-  
 detis ad faciendam vindictam in nationibus, justitiæ & veritati. Vocentur  
 & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Festinant ergo Legati  
 cœlestes, & ut viderunt miseriam hominum & crudelem plagam, ut Pro-  
 pheta loquitur<sup>y</sup>, *Angeli pacis amarè flebant.* Qui enim fidelius quære-  
 rent aut rogarent quæ ad pacem sunt, quam Angeli pacis? Sanè ex deli-  
 beratione communi ascendit veritas ad constitutam diem, sed ascendit  
 usq; ad nubes, necdum planè lucida, sed sub obscura & obumbilata adhuc  
 zelo indignationis. Factūmq; est ut legimus in Propheta<sup>z</sup>: *Domine in cæ-  
 lo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Medius autem Pater lu-  
 minum residebat & utraq; pro parte sua utilius quod habebat loqueba-  
 tur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis. Quis  
 auditit & enarrabit? Forte inenarrabilia sunt, & non licet homini loqui.  
 Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione  
 creatura rationalis, ait Misericordia, quoniam misera facta est, & miserabi-  
 lis valde. Venit tempus miserendi eius quia jam præterit tempus. Econtra  
 Veritas. Oportet, inquit impleri sermonem quem locutus es Domine. To-  
 tus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die ve-  
 titum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait Misericordia,  
 ut quid me genuisti pater citius periturā? Scit enim Veritas ipsa, quoniam  
 misericordia tua perit, & nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter  
 autem econtrario & illa loquebatur. Quis enim nesciat, quod si prædi-  
 ctam sibi prævaricator tententiam mortis evalerit, perit, nec permanebit  
 jam in æternum veritas tua Domine?

a Ioan. 5. d

Eleganti  
 prosopœia  
 introdu-

Ecce verò unus de Cherubim, id est magni consilii Angelus ad re-  
 gem Salomonem suggerit esse mittendus. Quoniam filio, inquit, datum  
 est omne judicium<sup>a</sup>: Et in eius ergo conspectu misericordia, & veritas  
 obviaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba quærimoniæ repe-  
 tentes. Fateor, ait Veritas, zelum bonum Misericordia habet, sed utinam se-  
 cundum scientiam. Nunc autem quid prævaricatori potius quàm forori  
 judicat esse parcendum? At tu, inquit Misericordia, neutri parcis, sed tanta  
 indigna-

In Annunciatione B. Mariæ, Sermo I. 185

indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & sororē. Quid mali merui? si quid habes adversum me, dicito mihi. Sin autem nihil, quid me persequeris? Grandis controversia, Fratres, & intricata nimium disceptatio. Quis non illic diceret, bonum nobis erat si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omninò, sic erat: non videbatur quomodo simul possent erga hominem Misericordia & Veritas conservari. Cumq; adjiceret veritas in ipsum quoq; Judicem patris suæ injuriam retorqueri, dicens cavendum omninò, ne fieret irritum verbū Patris, ne sermo vivus & efficax qualibet occasione evacuaretur: parcite quæso, ait Pax, parcite verbis huiusmodi, non nos talis altercatio decet, virtutū est inhonesta contentio.

*cit Misericordiam & Iustitiam de negotio humana redempt. disceptantes.*

Porrò Judex inclinans se, digito scribebat in terra. Erant autem verba scripturæ, quæ pax ipsa legit in auribus omnium. Ea siquidem propius affidebat, Hæc dicit, perii, si Adam non moriatur: & hæc dicit, perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraq; quod petit. Obstupuere omnes in verbo sapientiæ & forma compositionis pariter atque iudicii. Siquidem manifestum fuit nullam eis querimoniæ occasionem relinqui: siquidem fieri posset quod utraq; petebat, ut & moreretur, & misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet? inquiunt. Mors crudelissima, & amarissima est, mors terribilis, & ipso horrenda auditu; Bona fieri quadam ratione poterit. At ille. Mors, inquit, peccatorum pessima, sed preciosa fieri potest mors sanctorum. An non preciosa erit si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Preciosa, inquiunt. Sed quomodo fiet istud? Fieri, ait, potest: si ex charitate moriatur quis, utiq; qui nihil debeat morti. Neq; enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur (ut scriptum est <sup>b</sup>) mayilla Leviathan, & destruetur paries medius, solveturque chaos magnum, quod inter mortem vitamque firmatum est. Nimirum charitas fortis ut mors, imò & fortior morte, si fortis illius intraverit atrium, alligabit eum, & diripiet utique vasa eius, & ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transeant liberati.

*En sententia Iudicis, & decisio controversiæ.*

*b Ezech. 3.*

Bonus visus est sermo utpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito sed ex voluntate, nō ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit Veritas orbem terræ; & nemo mundus à sorde: nec infans cuius est unius diei vita super terrā <sup>o</sup>. Sed & misericordia cœlū omne perlustrat, & in Angelis quoq; ne dixerim pravitatem, minorem tamen invenit charitatem. Nimirum hæc victoria alii debebatur, quo maiorem charitatē nemo haberet, ut animam suā poneret quis pro servis inutilibus, & indignis. Nam & si ipse jam non dicit nos servos, hoc ipsum immensæ dilectionis est, & eximiæ dignationis. Nos autem & si omnia quæ præcepta sunt nobis faceremus \*, quid aliud

*Approbatio sententiæ.*

*o Job. 15. b Nullibi repertus idoneus ad opus Redemptionis perficiendum, nisi ipse Deus.*

*\*o Luc. 17. c*

\*<sup>o</sup> Luc. 17. c aliud dicere deberemus, nisi quod servi inutiles sumus \* ? Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constitutam diem Veritas & Misericordia, anxie plurimum non invento quod desiderabant.

*Pacis interlo-  
cutio.*  
c Gen. 6.

d Zach. 9.  
e Psal. 88. c  
f

g  
h Luc. 2. b

Tunc verò seorsum Pax consolans eas, vos, inquit, nescitis quicquam, nec cogitatis. Non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit rex quid loqueretur, & ait <sup>c</sup>: *Pœnitent me fecisse hominem.* Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit, ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Et accersito Gabriele, vade, inquit, dic filiæ Sion, ecce rex tuus venit. Festinavit ille & ait: *adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem* <sup>d</sup>. Porro venturum regem Misericordia & Veritas prævenierunt, sicut scriptum est <sup>e</sup>. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Iustitia thronum præparat secundum illud. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Pax cum rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur qui dixerat. *Pax erit in terra nostra cum venerit.* Inde est quod nato Domino Angelorum chorus canebat <sup>h</sup>. *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Sed & tunc Iustitia & Pax osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hæctenus dissidere. Prior enim si qua erat ex lege iustitia, non osculum, sed aculeum habebat magis urgens timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide noscitur esse iustitia. Alioquin quid erat quod nec Abraham, nec Moyses, nec ceteri iusti temporis illius, in obitu suo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introire, nisi quod minimè adhuc iustitia & pax sese fuerant osculatæ? Ex hoc fanè, dilectissimi, ferventiore nobis zelo sectanda iustitia est. Siquidem iustitia & pax osculatæ sunt, & indissolubile amicitiarum iniere fœdus: ut quicumque testimonium iustitiæ secum tulerit, hilari vultu jam amplexibus latis accipitur à pace, in idipsum dormiens & requiescens.

## IN ANNUNCIATIONE DOMINICA.

### SERMO II.

*De septiformi Spiritu in Christo.*

**C**onsiderare est, fratres, in solemnitate hodierna Dominicæ Annunciationis, velut amœnissimam quandam planiciem, simplicem nostræ reparationis historiam. Injungitur nova legatio Angelo Gabrieli, & novam Virgo professa virtutem novæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova Mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiscentiam nescit, ut  
Spiritu

In Annuntiatione B. Mariæ, Sermo II. 187

Spiritu superveniente Altissimi, pariat Filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingrediens, universitatem generis humani occupat. Innumeros huiuscemodi flores ex his facile est legere pratis, sed intueor mediam metuendæ profunditatis abyssum. Abyssus planè imperferutabilis, Incarnationis Dominicæ sacramentum, abyssus impenetrabilis, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hauriam non est mihi. Veruntamen solet interdum superposita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea sanè licet irrumpere verear propriæ conscius infirmitatis, frequenter tamen velut super os huius putei expando ad te Domine manus meas, pro eo quod anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et nunc siquidem quod (ascendente de deorsum nebula) tenuis ebiberit cogitatio, vobis fratres modicum illud sine invidia communicare curabo, velut expresso linteamine vel exigua refundens cœlestis stillicidia roris.

*Incarnationis  
Dominicæ mysterium  
abyssus imperferutabilis.*

Quæro igitur qua ratione Filius magis incarnatus sit quàm Pater, aut Spiritus sanctus, cum totius Trinitatis non modo æqualis sit gloria, sed una eademq; substantia? Sed quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temerè super huiuscemodi præcipitare sententiam. Videtur tamen nec Patris nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum, ut hic specialiter filius fieret, qui filius erat: ne quid esset ambiguitatis in nomine. Deniq; ipsa est Virginis nostræ gloria singularis & excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sanè periisse constat si non Filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis & hæreditatis, factus primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, asciscet eos sine dubio in hæreditatem, quos vocavit in adoptionem. Si enim fratres, & cohæredes. Hic ergò Christus *JESUS* mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisq; substantiam copulavit ineffabili sacramento; sic & in ipsa reconciliatione consilio usus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, utrisque tribuens quod oportebat, honorem DEO, homini miserationem. Hæc enim optima inter offensum Dominum & reum servum forma compositionis, ut nec honorandi Domini zelo servus opprimatur auste iori sententia: nec rursum dum huic immoderatus condescenditur, ille debito fraudetur honore.

*Cur Filius potius incarnatus, quam Pater aut Sp. S.*

*Prima ratio.*

2.  
3.

Audi igitur & diligenter observa Angelicam in huius Mediatoris ortu distributionem, *Gloria inquit* <sup>a</sup> *in altissimis DEO & in terra pax homini-*  
*Sermones S. Bernardi.* A a

*a Luc. 2. b  
Sepiformis  
spiritus in  
homini-*

Christo iuxta  
vaticinium  
Isaie.

1. Tit. 2.d

1. Isa. 11.a  
Timor Domini  
preferendus  
pietati  
proximi.

1. Psal. 101.a

1. Deut. 8.a

*hominibus bona voluntatis.* Huius denique gratia observationis fideli reconciliatori Christo nec *timoris* spiritus defuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam eius quæreret: nec spiritus *pietatis*, quo misericorditer compateretur hominibus. Unde & necessarium habuit spiritum quoque *scientiæ*, per quem timoris pariter & pietatis distributio fieret inconfusa. Et nota quod in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, sed manifeste defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit Eva scientiam, quæ, ut ait Apostolus <sup>b</sup>, seducta est in prævaricationem. Verum hæc quidem serpenti non defuit, qui calidior describitur cæteris animantibus, sed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius fortè videtur mulierem non contristando, sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens quàm divinæ. Utinam magis timor Domini prævaluisset in eo, sicut de Christo signanter legitur <sup>c</sup>. Quia *replevit eum non pietatis spiritus, sed timoris.* In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini preferendus est, & solus ipse est qui totum sibi hominem debeat vendicare. In his igitur tribus, timore, pietate, & scientia, mediator noster reconciliavit homines DEO. Nam in consilio & fortitudine de manu adversarii liberavit. *Consilio* siquidem pristino jure privavit hostem, data potestate ut manus injiceret innocenti. *Fortitudine* prævaluit, ne violenter posset retineri redemptor, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo surrexit.

Exinde cibatur nos pane vitæ & intellectus, & potatur aqua sapientiæ salutaris. Est enim *intellectus* rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo qui non percipit ea quæ sunt spiritus DEI, sed stultitia ei videntur, gemit & lugeat, dicens <sup>d</sup>: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Ecce enim mera & perfecta veritas est, non prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat. Sed quando id capere possit avarus? Sine causa laborat quisquis ei id persuadere conatur. Ut quid hoc? Nempe quia stultitia illi videtur. Quid verius quàm jugum Christi esse suave? Appone homini seculari, & vide si non magis lapidem quàm panem reputabit, & certè huiusmodi intelligentia veritatis internæ vivit anima, & his est spiritualis cibus. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei <sup>e</sup>. Veruntamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cœperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & fine

In Annuntiatione B. Mariæ, Serm. III. 189

sine difficultate intrat in animam, quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artubus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati.

Ex omnibus ergo quæ salvandis populis fuerant necessaria, nihil penitus defuit Salvatori. Ipse est enim de quo præcinit Isaias *f*: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Illud sanè diligenter attende, quod florem hunc de radice non de virga dixerit ascensurum. Quia etenim si nova Christi caro in Virgine creata esset ex nihilo, quod æstimaverunt nonnulli, non de radice flos, sed fortè de virga dici poterat ascendisse. Nunc autem quia prodiit ex radice, sine dubio ab origine communem probatur habuisse materiam. Nam quod super eum Spiritus requievit, nihil in eo contradictionis fuisse declarat. In nobis enim quia non omnino superior est spiritus, non requiescit, carne nimirum adversus spiritum, & spiritu adversus carnem concupiscente: à quo conflictu nos liberet, in quo nihil simile fuit novus homo & verus homo, qui veram carnis nostræ suscepit originem, sed fermentum verus concupiscentiæ non suscepit.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS.

S E R M O III.

Quàm dives es in misericordia, quàm magnificus in iustitia, in gratia quàm munificus Domine DEUS noster. Non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, piissime liberator. Gratis respicis humiles, justè iudicas innocentes, misericorditer salvas etiam peccatores. Hæc sunt, dilectissimi, quæ nobis immensa divitis huius patrisfamilias sanctarum testimoniis scripturarum, hodie quidem, si diligenter advertimus, solito copiosius apponuntur. Nimirum hanc nobis copiam præstant, quæ pariter convenerunt sacrum videlicet tempus Quadragesimæ, & sacratissima dies Annuntiationis Dominicæ. Hodie enim in auribus nostris deprehensam in adulterio mulierem, indulgentia Redemptoris absolvit; hodie innoxium Susannæ sanguinem liberavit; hodie quoquè beatam Virginem singulari munere gratuita benedictionis implevit. Magnum convivium, ubi pariter nobis misericordia, iustitia, & gratia apponuntur. Nunquid non misericordia esca hominum, salutaris omnino & efficax ad medelam? Nunquid non etiam iustitia panis cordis? Et quidem optimè confirmans illud, utpote cibus solidus ad nutrimentum. Denique Beati qui esuriunt illum, quoniam ipsi saturabuntur.

*Habitus est hic sermo, cū festum Annunc. incidet in Sabbatum tertium Quadr. quo die legitur historia Susannæ & Evang. de Adultera.*

*Cibus anime Misericordia, iustitia, gratia.*

*a* Matt. 5. b buntur *a* : Nunquid non cibus animæ gratia DEI sui? Dulcissimus fanè, & omnem habens in se suavitatem, & delectamentum saporis. Imò verò hæc sibi omnia pariter vendicans non modò delectat, sed & reficit & medetur.

Accedamus ad mensam hanc, Fratres mei, & ex singulis dapibus vel modicum aliquid degustemus. *In lege Moyses mandavit huiusmodi lapidari*, aiunt de peccatrice peccatores, de adultera Pharifæi. Sed ad duritiam lapidei cordis vestri ille locutus est. *Iesus autem inclinavit se* : Domine inclina cælos tuos & descende *c* . Inclinans se & ad misericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat) *digito scribebat*, non jam in lapide, *sed in terra*. Neq; hoc tantum semel, sed hic quoque duplex scriptura, sicut apud Moysen tabulæ, & fortè veritatem & gratiam scribens, & iterum

*s* Psal. 143. b scribens terræ impressisse videtur, secundū quod Joannes Apostolus ait *d* . *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Con-

*d* Ioan. 1. b sidera denique an videri possit de tabula veritatis legisse : unde refelleret Pharifæos. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat*. Verbum quidem abbreviatum, sed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm graviter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa, quàm vehemèter hoc uno lapillo contritæ sint lapideæ frontes, rubor ipse confusionis & clandestinus probavit abcessus. Meruit quidem adultera lapidari : sed is punire gestiât, qui dignus non est etiam ipse puniri. Is præsumat à peccatrice exigere ultionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior, à se incipiat : in se prius sententiam ferat exerceatque vindictam. Hæc Veritas.

*Eius est velle punire, qui dignus non est ipse puniri.*

Cæterum adhuc minus est. Etsi accusatores refellit hæc Veritas, sed ream necdum absolvit; scribat iterum, scribat gratiam, legat, & audiamus. *Nemo te condemnavit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo; vade, & amplius noli peccare*. O vox misericordiæ, ô auditus lætitiæ salutaris!

*s* Psal. 142. *Fiducia capax nos reddit misericordia.* Audiam fac mihi mane misericordiam tuam; quia in te speravi Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam & dissimulatio pernicio-

*Falsa fiducia.*

sa. Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? Aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor sentitur, nec materia ipsa timoris? Fiducia solatium est; nec eget ille solatio qui lætatur cum malè fecerit, & in pessimis rebus magis exultat. Rogemus itaq; Fratres, responderi nobis quantas habeamus iniquitates & peccata, scelera nostra & delicta nobis desideremus ostendi. Scrutemur vias nostras & studia nostra; periculæque  
universa

universa vigili intentione pensemus. Dicat quisque in pavore suo, vadam ad portas inferi: ut jam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc verba hominis fiducia à se deficientis & innitentis Domino suo. Hæc inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Propheta attestante, *quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Nec parva itaque suppetit in nobis; In nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Suavis & mitis est, copiosæ misericordiæ; præstabilis super malitia; multus ad ignoscendum. Credamus sanè vel inimicis, qui in eo nihil aliud unde occasionem struendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur (aiunt) peccatrici, nec sibi oblatam ullatenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifestus adversarius legis, cum absolverit lege damnatam. In vestrum, ô Pharisei, caput, tota vestræ malignitatis adinventio retorquetur. Diffiditis causæ, qui iudicium subterfugitis. Nam illa quidem sine injuria legis absolvitur, quæ sine accusatore relinquitur.

Vera fiducia  
quænam.

Christus ab  
inimicis habet  
testimonium  
misericordiæ.

Sed consideremus Fratres, quoniam hinc abeant Pharisei. Videtis-ne duos senes (nam à senioribus exire cœperunt <sup>e</sup>) quomodò in po-  
mœrio Joachim abconduntur? Susannam quærent uxorem eius: se-  
quamur eos: nam iniqua cogitatione pleni sunt contra eam. *Consentire no-*  
*bis*, aiunt senes, aiunt Pharisei, aiunt lupi, qui ab alterius paulo ante, licet  
errantis oviculæ fuerant devoratione frustrati. *Consentire nobis, & commi-*  
*scere nobiscum.* Inveterati dierum malorum, modo accusabatis adulterium,  
modo adulterium suadetis? Sed hæc est tota iustitia vestra, & quæ palam  
arguitis, eadem agitis in occulto. Hinc fuit quod existis unus post unum,  
cum ille omnium cõsciis occultorum, vestras tam validè percussisset con-  
scientias dicens, *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mit-*  
*tat.* Merito proinde ad Discipulos Veritas ait *&*: *Nisi abundaverit iustitia*  
*vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*  
Alioquin dicemus, aiunt, contra te testimonium. Semen Chanaan & non  
Juda: nec hoc quidem Moyses in lege mandavit. An qui decrevit adulte-  
ram lapidare, mandavit accusare pudicam? An qui iussit adulteram lapi-  
dibus opprimi, etiam iussit contra infontem testimonium ferri? Imò verò  
sicut adulteram, sic etiam falsum testem non impunitum esse præcepit <sup>a</sup>.  
Sed qui gloriamini in lege, per legis prævaricationem DEUM inho-  
noratis.

Ioan. 8. a

Historia Su-  
sannæ ex Da-  
niele, cap. 12.  
Collata cū hi-  
storia adultera.

Ioan. 8. a

g Matt. 5. c

a Deut. 19. c

Prov. 19. b

Ingemuit Susanna, & ait <sup>b</sup>: *Angustia mihi sunt undique.* Undi. <sup>b</sup> Dan. 13. c  
que enim mors. Hinc quidem corporea, inde spiritualis. *Si hoc, inquit,*  
*egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Vestras <sup>22</sup>  
ô Pharisei manus, nec adultera effugit, nec pudica; vestras accusationes, <sup>22</sup>

*Anima salua  
corporis da-  
mino redi-  
meudo.*

nec sanctus, nec peccator evadit. Dissimulatis peccata vestra, ubi inveni-  
neritis aliena; Alioquin si quis fortè suum non habet, vestrum ei impin-  
gitis crimen. Quid tamen Susanna facit inter mortem & mortem, ani-  
mæ scilicet & corporis, undique angustiata? *Melius est mihi, inquit, abs-  
que opere incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei.* Ni-  
mirum sciebat ista quàm horrendum sit incidere in manus DEI viventis.  
Nam homines cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid fa-  
ciant: ille autem timendus est, qui potestatem habet & corpus & animam  
mittere in gehennam. Quid familia Joachim tardat? Irruat per postu-  
cum, nam in pomerio clamor auditur: Clamor ut luporum gravium, &  
balantis oviculæ inter eos. Sed non patitur ab eis innoxiam devorari,  
qui ab ipsis eorum faucibus tam dignanter eripuit etiam eripi non meren-  
tem. Merito proinde *cum duceretur ad mortem, erat cor eius fiduciam ha-  
bens in Domino, quem usque adeo timuisset, ut timorem omnem postpo-  
sisset humanum, & ipsius legem, & simul vitæ præposuisset & famæ. Non  
enim dictus fuerat sermo huiuscemodi aliquando de Susanna. Sed & parentes  
eius iusti erant, & vir eius honoratior omnium Iudeorum.* Merito igitur à  
iusto iudice justam de iniustis obtinuit ultionem; quæ tam vehementer  
justitiam esurivit, ut propter eam contemneret mortem corporis, oppro-  
brium generis, luctum inconsolabilem amicorum.

*Patientia tu-  
etur iustitiã.  
k Rom. 12. d  
& Ezech. 9. a  
& Deut. 32.  
c\**

Et nos, fratres, si à Christo audivimus, nec ego te condemnabo, si  
peccare jam nolumus contra ipsum: si in Christo volumus piè vivere,  
necesse est sustineamus persecutionem, ne malum pro malo, aut maledi-  
dictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non serva-  
verit, perdet justitiam, hoc est vitam perdet, hoc est, perdet animam suam.  
*Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus* k. Ita prorsus est. Ipse  
retribuere, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo iudicium, si non  
reddas retribuendis tibi mala. Faciet iudicium, sed injuriam patienti  
in æquitate iudicabit, sed pro mansuetis terræ. Jam vobis (ni fallor) mo-  
lestum est, quòd deliciae tardant. Non miremini, deliciae sunt. Non o-  
nerabunt quamlibet satiatis, nec à ructantibus quidem poterunt fa-  
stidiri.

*De annuncia-  
tione Incar-  
nation. Do-  
mm. ex  
Luc. 1. c*

» *Missus est Gabriel Angelus à DEO, in civitatem Galilee cui nomen Na-  
zareth.* Miraris quod Nazareth parva civitas, & tanti regis nuncio il-  
lustretur & tanto? sed magnus latet in hac parva civitate thesaurus, latet,  
inquam, sed homines latet non DEUM. An non thesaurus de Maria?  
ubicunque illa est, & cor eius. Oculi eius super eam, ubique respicit hu-  
militatem ancillæ suæ. Novit cælum Unigenitus Dei Patris? Si novit  
cælum, novit & Nazareth. Quidni sciat patriam suam? quidni nove-  
rit hæc

## In Annunciatione Dominica, Sermo III. 193

rit hæreditatem suam? Cælum ex Patre : Nazareth ex Matre vendicat sibi, sicut ipse se & Filium David, & Dominum esse testatur <sup>l</sup>. *Cælum cali Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Cedat ergo ei utrumque necesse est in possessionem, qui non modo Dominus, sed & filius hominis est. Audi etiam quomodo terram sibi tanquam filius hominis vendicat, sed & communicat tanquam sponsus. *Flores, inquit <sup>m</sup>, apparuerunt in terra nostra*, neque hinc discrepat quod Nazareth interpretatur flos. Amat florigeram patriam Flos de radice Jesse, & libenter inter lilia pascitur Flos campi, & Liliū convallium. Commedant enim flores pulchritudo, suaveolentia, & spes fructus, gratia triplex. Teque florem reputat Deus. Et bene ei complaceat in te, si tibi nec honestæ conversationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, nec intentio desit futuræ retributionis. Fructus enim spiritus est vita æterna.

*Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum.* Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Utramque sine dubio, quia plenam; & eò singularem, quò generalem: ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eò, inquam, singularem, quò generalem: nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem quòd sola hanc inveneris plenitudinem. Generalem quòd de ipsa plenitudine accipiant universi. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui <sup>n</sup>.* Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit <sup>o</sup>. In te sola rex ille dives, & prædives, exinanitus; excelsus, humiliatus; immensus, abbreviatus, & ab Angelis minoratus est; verus denique Deus & Dei filius, incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate sublevemur, eius minoratione magnificemur, eius Incarnatione adhærentes Deo incipiamus unus esse spiritus cum eo.

Sed quid dicimus, Fratres? Cuinam potissimum vasi gratia infundetur? Si (ut supra meminimus) capax quidem est misericordiæ fiducia: patientia verò justitiæ; quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est, purissimum & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam solidum, quam humilitas cordis? Merito proinde humilibus dat gratiam: merito respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Quonam merito quæris? Ego utique, quo animum humilem, meritum non occuparet humanum, quo minus libere influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hanc nobis humilitatem quibusdam erit gradibus ascendendum. *Primo enim cor hominis quem adhuc peccare delectat,*

*l Psal. 113. d*

*m Cant. 2. c  
Nazareth in-  
terpretatur  
Flos.*

*n Luc. 1. c*

*o Iudic. 6. g  
Singularis  
gratia & præ-  
rogativa Ma-  
riæ.*

*Gratia idone-  
as non efficit  
humilitas.*

*Ad humili-  
tatem quibus-  
gradibus as-*

*attendendum.*  
*Gratia impedi-*  
*menta re-*  
*movenda.*

*Primo. Dele-*  
*ctatio peccan-*  
*di.*

*2. Neglectus*  
*condigne pœ-*  
*nitentiæ &*  
*satisfactionis.*

*3. Tepor &*  
*defectio à pri-*  
*mo fervore.*

*p Colof. 3. c*

*4. Elatio de*  
*propriis me-*  
*ritis.*

*q Luc. 18. b\**

*Pharisæi orā-*  
*ti arrogantiæ,*  
*& elatio.*

*Vacuus abiit*  
*quia plenum*  
*se præsumpsit.*

*o Sap. 4. c*

*o Cant. 6. d*

delectat, nec miseram consuetudinem proposito meliore mutavit, ne sit gratiæ capax, propriis vitiis præpeditur. *Secundò* quoque ubi corrigere mores, & priores nequitias de cætero non iterare proponit, ipsa tamen peccata præterita licet jam amputata quodammodò videantur; dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confessione laventur, donec succedentibus dignis fructibus pœnitentiæ de medio fiant. Sed vè tibi si fortè vitiis & peccatis perniciosior successerit ingratitude. Quid enim tam evidenter gratiæ adversatur? Tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu cœperamus. Inde enim est ut minus ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem: verbosi, curiosi, faceti etiam detractores & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet; quasi ve ò confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Jam verò si quis juxta Apostolum *p*, ut Verbum Christi, verbum gratiæ in eo habitet, gratus est, si quis devotus, si quis sollicitus, si quis spiritu fervens, caveat sibi ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: alioquin nec huiuscemodi quidem animum intrat gratia. Nimirum plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi.

Consideretis Pharisæum illum orantem *q*. Non erat raptor, non injustus, non adulter. An sine fructibus pœnitentiæ erat? Jejunabat bis in sabbato, decimas dabat omnium quæ possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini. Audite quid dicat. *Deus gratias ago tibi*. Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis, sed elatus. Non enim quid sibi deesset scire studuit, sed exaggeravit meritum suum, nec erat solida plenitudo, sed tumor. Vacuus proinde rediit: quia plenitudinem simulavit. Nam Publicanus ille qui exinanire seipsum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. Nos ergo, fratres, si gratiâ cupimus invenire: sic de cætero abstinemus à vitiis, ut de præteritis quoq; peccatis dignè pœniteamus. Nihilominus quoq; solliciti simus, & devotos nos Deo, & verè humiles exhibere: huiusmodi nempe animas gratanter respicit pro illo respectu, de quo Sapientis ait *r*: *Quoniam gratia & misericordia DEI est in sanctos eius, & respectus in electos illius*. Et fortè propterea quater revocat animam quam respicit dicens. *Revertere, revertere Sana-mitis, revertere, revertere ut intueamur te*: quo videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum: sed nec in tepore & torpore ingritudinis, aut in elationis cæcitate persistat. A quo nos

quadri

Dominica Palmarum, Sermo I. 195

quadripartito periculo revocare & eripere dignetur, qui factus est nobis à DEO sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio JESUS Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum. AMEN.

AD LECTOREM.

*Huc referri possunt IV. sermone De Laudib. Virg. Matris, alias, super Missus est, supra in Adventu positi. Item Sermo, de Verbis Apoc. 22. Signum magnum apparuit &c. inf. in Assumpt. B. V. poni solitus, huc potius spectare videtur.*

DOMINICA PALMARUM.

*De tribus ordinibus obsequentium Christo.*

S E R M O I.

**N**on sine causa spiritum Sponsi pariter & DEI sui habens Ecclesia, processionem hodiè nova quadam & mira coniunctione addidit passioni. Nam processio plausum habet, passio planctum. Quoniam ergo sapientibus & insipientibus debitores sumus: videamus quid utrisque conferat hæc coniunctio. Et prius quidem quid secularibus indicet: quoniam non prius quod spirituale, sed quod animale. Videat secularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propter hoc enim qui cætera quoque cœpit facere & docere, non solum verbis prædicans, sed exemplis: quod antè prædixerat per Prophetam <sup>b</sup>. Quoniam *omnis caro scænum, & omnis gloria eius, tanquam flos scæni*: etiam apparens in carne manifestè studuit probare in seipso. Unde & processionis gloria voluit sublimari: qui paulò post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, Creatore temporum & conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria & divinis est laudibus honoratus: postmodum verò interrogatus contumeliis & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoria finis lætitiæ: hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Prophetam, ut cantet Domino gloria eius, & non compungatur <sup>c</sup>, id est, processionem habeat, quam passio non sequatur.

*Processionis hodierna & passionis coniunctio quid sibi velit.*

*Quid secularibus hinc discendum.*

*b Esa. 40. b Mandi & gloria temporalis inconstantia.*

*c Psal. 29. c*

*Quid Religiosis & spiritualibus discendum ex coniunctione hodiernæ processionis & passionis.*

Vobis autem, charissimi, tanquam spiritualibus spiritualia comparantes, in *processione* quidem cælestis patriæ repræsentamus gloriam, in *passione* monitramus viam. Nam si in *processione* quidem venit tibi in mentem futura illa lætitia, & exultatio multa nimis, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, si tota concupiscentia videre desideras

*Sermone S. Bernardi.*

B b

diem